

catam una cum aqua: Vt enim paulo post demonstrabimus, tam superficies conuexa terre, quam aquæ, a centro mundi equidistat, quod utraq; opinio negat.

DEINDE, quia cum utraq; sententia admittat, aquam multo esse maiorem ipsa terra, concedere etiam necessario cogetur, plura stadia, milliariaue cuiuslibet gradui superficiæ maris, seu aquæ correspondere, quam cuiuslibet gradui terræ. Nam in tot gradus diuiditur orbis terrenus, in quot globus aqueus distribuitur, quemadmodum scilicet quilibet circulus cælestis diuidi solet. Quare si aqua maior existit, quàm terra, oportet gradus aquæ esse maiores gradibus terræ, ac proinde quibus illorum plura stadia, milliariaue continebit, quam quilibet horum. Cuius oppositum omnes Naturæ asserunt, qui se expertos fuisse sæpe numero testantur, tot stadia, vel milliaria comprehendere nunquam gradum in superficie terræ, quot in superficie maris.

RURSUS, quoniam si veræ essent prædictæ sententia, non possent assignari antipodes, quippe cum huic terre parti habitæ opposita pars maxima sit aquarum profunditate connecta, ut auctores earum fabulantur: Experientia autem quotidiana Lusitanorum, Hispanorumq; satis nos edocet, terræ huic habitabili multos assignari antipodes.

PRAETerea, cum aqua secundum illos non aequaliter distet a cætro vniuersi, sed eleuetur mirum in modum, sequeretur, quod nauis exiens e portu quocunq; ascenderet, & accedens ad eundem portum descenderet, & sic aequali existente vento velocius ad portum descenderet, quam e portu ascenderet, quod est contra experientiam: immo nullo pacto consistere posset nauis extra portum constituta, quin suapte sponte ad portum decurreret, cum omne graue deorsum tendat; quod tamen verum non est.

POSTremo, quoniam id, quod prima sententia maxime vitare cupit, nimirum aquam, nisi supernaturali virtute contineretur, vniuersam terram operituram esse, nullo modo vitat. Cum enim sint antipodes, ut quotidie nauigantes hoc tempore experiuntur: item totum mare oceani pene infinis sit insulis respersum, si aqua suæ naturali conditioni relicta destueret, ut terram hanc habitabilem secundum auctores illius sententiæ operiret, magis sane ac magis detegeretur illa pars, quæ nostri antipodes inhabitant, quod idem dices de insulis. Dum igitur auctores huius opinionis ostendere conantur, aquam suam primæ conditioni relictam